905180

J. F.
LIBRORUM SACRORUM
VETERIS TESTAMENTI
Ex Hebraicâ in Græcam lingvam
TRANSLATIO
A
SEPTUAGINTA DUOBUS INTERPRETIBUS,
curâ & impensis
PTOLEMÆI PHILADELPHI
Regis Ægyptiorum,
suscepta & absoluta,
IN ACTU VIRLINGIANO
GYMNASII MAGNALENÆI,
An. Chr. M DC LXVIII,
a. d. 8. Martii, hor. antemer.
celebranda,
ductu
M. Johannis Fechneri.

VRATISLAVIÆ,
In Hæredum Baumannianorum Typographiâ
exprimebat Joh. Christoph. Jacobi.

Lecturis plurimam dico salutem.

LActet liquorem Pieris caballinum,
Quem fabulosus funditat latex Cyrrhæ,
Senex ut olim somniavit Ascræus.
Nos, qui salutis diximus sacramentum
Christo satori, militare vexillum
Crucis secuti sospitis, levi vatum
Nugantium choro relinquimus pagi
Putres lacunas luridamque Pirenen.
Præstat Sionis lympidissimos fontes
Et Israelis rivulos salutares
Libare, cœni qui nihil trahunt spurci,
Semper-tenaces puritatis integræ.
Hîc Callicrene Mosis exerit labrum
Plenum, scaturrit hîc liquor Prophetarum
Verendus, ex quo melle dulcior dulci
Promanat humor Spiritusque cœlestis
Vocalis unda, potione quæ pectus
Ægrum salubri recreatque sanatque.
Hausêre Patres hinc aquam sibi vitæ
Perennis, hausit inclyti nepos Judæ
Et natio in pecullium Dei lecta.
Sed non Hebræos imbuit Deus solos
Vivace lymphâ & voce, quæ beat cœlo.
En evagantur latius Sionæi
Claudi paterno nescii solo fontes,
Et profluentis instar amnis effusi,
Orbem peragrant, & remota terrarum
Lustrant fluento jugiter redundante.
Qualis tumente Nilus alveo lapsus

Spretique

Spretique littoris crepidines rumpens,
Torrentis undæ vim per arva dimittit,
Ac rura latè perrigat Canopéa:
Talis refuſum fontibus Palæſtinis
Gentes inundat flumen entheum Judæ.
Nempe (ut remoto, res quod eſt, loquar peplo)
Mundi parens ter optimus ſuum verbum,
Manu miniſtrâ Moſis & Prophetarum
In litterasque codicesque congeſtum,
Communicavit liberaliter cunctis
Terræ colonis, plurimasque transfundi
Ex Iſraelis fonte gentium in lingvas
Curavit, ad conſortium vocans ſanctæ
Sionis omnes orbis incolas lati.
Quis explicare copiam valet denſam
Translationum, quæ dedêre pandectas
Legis ſacræ nec non prophetici verbi
Libros legendos nationibus terræ,
Quascunque vultu luſtrat igneo Titan?
Sed Græca in illis eminet, velut flammas
Inter minores Noctiluca regina.
Hoc munus orbi contulit nepos Lagi
Ter inclytus decusque ſplendidum Regum,
Quos dives olim protulit Phari tellus.
Vocavit hic ê gente ſepties denos
Senes Hebræâ, quos volumen arcanum
Legum Jehovæ & codices Prophetarum
Græcanicam transferre jusſit in lingvam.
O prædicandum encomio ſatis nullo
Opus! Superba quid crepas, dicax Memphis,

 Sepulcra

Sepulcra Regum? Nulla pyramis, nulla
Educta ad altas ætheris domos moles
Par glorioso est mnemati, quod exstructum
Interpretum labore septies denûm.

Hæc Bibliorum gaza sacra Græcorum
Non Lagidæ tantum auxit oppidò lautam
Struem librorum nobilemque flavissam,
Quam regio sibi paraverat sumtu:
Orbem sed omnem fruge mactat ingenti
Verbi volumen entheum sacri Grajo
Sermone scriptum. Nonne quaslibet terræ
Hellas per oras artium parens felix
Colonias propaginesque dimisit?
Sic gens Jonum culta barbaris passim
Admixta lingvæ traduces suæ mites
Mundum per omnem proferebat ubertim.
Sic nationum nulla non, ab excelso
Quas axe lucis autor igneus spectat,
Intelligebat Atticæ sophos Pithûs.

Quis explicare laude possit humanâ
Benignitatem maximam Patris summi,
Grajæ loquellæ qui potissimum dulci
Commercio dignatus est sacrum gentes
Vagas vocare ad contubernium Semi?

Nox occupabat querquero tenebrarum
Solum salumque peplo, & umbra lethæis
Emissa claustris distinebat errantes
Græcos, repentè clara cum pharos turri
Ex eminente promicans, novum lumen
Diffundit & lucerna cœlitis verbi.

Iter

Iter salutis mite gentibus cæcis
Sparsisque monstrat. Sed phari quid accensum
Cantare lumen sumo, nocte sublustri
Quod eminus fulgescit, ignis ut crispus
Ursæ minoris sub polo? Ecce Matuta
Exorta plenam nunciat diem mundo,
Splendetque solis aureum jubar: Nempe
Evangeli præconium salutaris
Sparsum per orbem plurimis fuit lingvis.
Sed Græca sola digna Flamini sancto
Apostolisque visa, facta quæ Christi,
Et quæ salutis edocent viam, dicta
Vivace scripto in publicam daret lucem.
Quid ergo cessas, ô juventa, Græcorum
Adire fontes Bibliorum, & heminis
Haurire plenis lympidas aquas vitæ?
Quid luce spernis & die frui clarâ,
Scripto Jehovæ quæ refulget in verbo?
Nil svavius, nil fructuosius certè est,
Quam cum Propheris cumque Apostolis sanctis
Loqui Pelasgæ voce fertili Svadæ.
Et hoc monere luce crastinâ nobis
Sedet, docere litteras quibus Græcas
Evergetarum autoritate mandatum.
At excitari disserentium fervor
Favore quærit audientium promto.
Proinde Vos hic Choliambus accedit,
Magni Patroni candidiq; Fautores,
Submissione debitâ rogans, nostri
Ut haut gravatim visere ad lares ludi

 Velitis

Velitis, ac industriam juventutis
Vestri sereno provocare conspectu
Oris. Supremum voce suppluci Numen
Precamur, ut vos sospites diu servet
Beetq; sorte cœlitus perennanti.

Prop. publ. a. d. 7. Martii A. C. 1668.

Consignatio Rerum & Personarum.

Cogitanti mihi pronuper, quo de argumento potissimùm in Actu Virlingiano, qui hac anni tempestate in Magdalenæo nostro erat adornandus, disserendum esset, commodùm occurrebat Versio LXX. Interpretum, qui sacros & canonicos V. T. libros ex linguâ Hebraicâ in Græcum sermonum Ptolemæi Philadelphi Regis Ægyptiorum provocati liberalitate, transfuderunt. Nihil enim ad studium Græcæ linguæ juventuti commendandum (quem in finem hujusmodi Actus haberi consvevit) magis visum est congruum, quam laudare Græcam istam sermonis prophetici Interpretationem, quam ipse Spiritus Sanctus tanto dignatus est honore, ut ex 232. Vaticiniis Testimoniisq; sacris, quæ in N. T. allegantur, pleraq; iisdem prorsus, quæ in Versione LXX. leguntur verbis θεοπνεύστοις *Evangelistarum Apostolorumq; Scriptis fuerint inserta. Hanc* ὁμοφωνίαν D. Irenæus (lib. 3.) *annotavit;* Apostoli, *inquiens*, consonant Interpretationi, & Interpretatio consonat Apostolorum traditioni. *Hoc certè, non sine Numine factum:* Unus enim & idem Spiritus Dei (*addit ibidem* Irenæus) qui in Prophetis prædixit, & in Senioribus interpretatus est, quæ prophetata fuerant. *Hinc* D. Hieronymus (præfat. in Paralip.) Spiritus S. afflatu 70. ex Hebræis ista transtulisse *ait. Quapropter D.* Augustinus (in de *C. D.* lib. 15. c. 11.) *hanc Versionem omnibus aliis anteferendam esse copiosè docet, eâq; in sententiâ præter Hieronymum*

mum & Irenæum jam laudatos, ὁμόψηφον *habet* Clementem Alexandrinum, *qui aſsertioni huic evidentem rationem addens ait:* Conſilium Dei ſingulare fuit, qui ad Græcas aures (εἰς ἑλληνικὰς ἀκοὰς) illa præparaverat. (lib. 1 Strom. *Reverâ enim Deus operâ Interpretationis hujus Græcæ Græcos, quorum lingva eo tempore, quo in lucem prodiit, apud omnes ferè orbis nationes erat uſitata, ad conſortium Iſraelis & Eccleſiæ convocare voluit, quem in finem etiam deinceps Evangelium Jeſu Chriſti Græco ſermone ab Apoſtolis fuit perſcriptum. Meritò itaq; Biblia Græca juventuti commendo, uſurpans mihi hæc D.* Auguſtini (Tom. 2. ep. 1.) *verba:* Præcipuè Apoſtolorum lingvas exhortor ut legas, ex his enim ad cognoſcendos Prophetas excitaberis, quorum teſtimoniis utuntur Apoſtoli.

In ipſo verò Actu adornando Ariſtéæ, *qui à Ptol. Philadelpho ad Eleazarum principem ſacerdotum ſuper negocio interpretationis procurando fuerat miſsus, narrationem hiſtoricam, cujus præcipuam partem* Joſephus in lib. 12. c. 2. Antiq. Jud. *tranſtulit, ſequi lubet, miſsis dubiis, quæ de autore, num ab Aiſtea ipſo, vel potius Helleniſtis i. e. Judæis græcisſantibus, hiſtoria iſta ſit conſcripta, & aliis, quæ* Wowerius (in Syntag. de Græca Bibl. Verſ.) *perquiſitè excuſsit. Ipſum opus ſanctum cum Bb. Patribus ſine prologo galeato celebrare nobis ſumimus, eo ordine, quem ſequens Elenchus deſignat.*

Audientur,

1. *Præceptor, ipſam Verſionem LXX. Græcam Græco eoq; brevi ſermone juventuti commendaturus:*
2. *Diſcipuli*
   1. *Adoleſcentes de eadem, ſine habitu ſcenico, fictis licet ſub perſonis, diſſerturi, dialogis V.*

In

In Primo de Interpretibus, qui Hebraicos de Legibus divinis libros in Græcum sermonem transferant, à summo sacerdote per legationem & epistolam regiam impetrandis consultabunt, Ptolemæus Philadelphus Rex, (Johan. Ernestus Güssavius Dracoreus.)

Demetrius Phaleræus Bibliothecæ regiæ præfectus, Johannes Kurtzmannus Vratisl.)

Aristeas, primarius Regis minister, (Constant Nathanael Guttermuth/ Dracor.)

Andreas, Regii corporis custos, [Georg. Sigismundus Nagel/ Jauranus.]

In Secundo de responsione ad litteras Regis & mittendis interpretibus conferent,

Eleasarus, summus sacerdos, [Michael Gebhardus Sora-Lusat.]

Josephus, Interpretum primus [Sigismundus Cunradi Sora-Lusat.]

In Tertio Ptol. Philadelphi studium & munificentiam incondendâ Bibliothecâ & procurandâ Liberorum sacrorum Versione commendabunt,

Basilides, [Gotofredus Steudnerus Gryphorinus.]

Archelaus, [Johannes Albertus Crantzius Leorinus]

Cleomenes, [Adam Sigismundus Scultetus Vratislaviensis.]

Philemon, [Gotofredus Büttnerus Leorinus.]

In Quarto Scripturam sacram alternatim Græco serm. laudabunt,

Eusebius, [Christophorus Fribenius Landshutt.]

Timotheus, [Christianus Schauertus Lauba-Lusat.]

In Quinto Interpretationem LXX. Lat. serm. celebrabunt,

Uranius, (Andreas Goldbachius Vratislaviensis.)

Dorotheus, (Johan. Fridricus Droschelius Spremberga-Lusat.)

Theophanes, (Fridricus Geislerus Jauranus.)

Hierophilus, (Balthasar Stephani Bregensis.)

2. *Pueri, Responsa Interpr. ad Quæstiones Ptol. Phil. potiora recitaturi,*

Gotfrid Hermannus Vratisl.	*Esaias* Sauer.	*Vratisl.*
David Gräbner *Vratisl.*	*Johan. Gotfrid Albertus,*	
Abraham Nischelky *Lesnen.*	*Daniel* Fritsch/	
Jacobus Fidlar *Vratislav.*	*Samuel* Rinder/	
	Daniel Leupoldt/	

